



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Complectitvr Mysteria Diuinitatis, Trinitatis, & perfectionum Dei: ac
de beneficiis eius in homines, naturalibus & supernaturalibus

Puente, Luis de la

Coloniae, Anno M.DC.XII.

Med. 44. De Applicatione sensuum animæ nostræ ad Sanctiß.
Sacramentum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-38214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-38214)

hoc mundo discessu, Apostolis tuis dixisti: *f. Ioan. 14. 3.*
Iterum veniam ad vos, & accipiam vas ad me
ipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis. Veni quæso
ad visitandum animam meam per gratiam &
presentiam venerabilis huius Sacramenti;
cuius virtute deduc me ad locum, ubi tu es,
ut ibi videam quod modò credo; & posside-
am quod spero, fruens Diuina tua præsen-
tia. Amen.

MEDITATIO XLIV.

APPLICANTVR QVIN-
 que animæ sensus ad Sanctis-
 simum Sacramen-
 tum.

Modus hic Orandi per applicatio- *Modit. 26.*
 nem sensuum, (de quo in secun-
 da Parte egimus) est *utilissimus*
 circa Sanctissimum Sacramen-
 tum: remotis videlicet quinq; cor-
 poris sensibus; & excitatis ijs quos habet anima.
 Aliquid ad hanc rem tetigit S. Bonaventura in *Itine. 6.*
 suo tractatu de septem itineribus æternitatis, si- *Distinct. 6.*
 cut diximus in §. II. Introductionis huius operis;
 sed tamen hic alium quendam modum ponemus
 omnibus faciliorem.

PUNCTVM I.

PRIMUM erit interno animæ aspe-
 ctu fide

actu fide illustrato, aspicere quidquid est obiectum huius aspectus circa hoc Sacramentum, & ex eo varios concipere affectus, ei quod videro accommodatos. *Primum* enim aspiciam quantitatem, colorem, & figuram panis & vini, separata à sua substantia, quam Deus suâ omnipotentia destruxit, cuius loco substituit suum corpus & sanguinem; & actu exercens hanc fidem, captiuabo meum intellectum, ut hoc credat, negans iudicium, quod à sensibus procedit, & confitens, quod possit Deus sua omnipotentia plus facere, quam ex illis nostra ratio possit percipere. Dicam itaque: credo, quod quamuis videam colorem panis, & percipiam odorem, & saporem panis; non sit tamen hic substantia ista panis; quia fides hoc docet, & ita Deus reuelat.

II.

Mox aspiciam eodem interno aspectu, maiestatem Christi Domini ibi existentis, a deo integri & glorificati, atque existit in Cælo. Aspiciam sacrum eius caput corona gloriæ exornatum; Diuinum eius vultum radijs immensi splendoris; manus, pedes, & latus cum pulcherrimis vulneribus, quæ in illis sunt, totumque eius corpus incomparabiliter splendidius sole, speciosissimum super filios hominum. Altius postea ascendens, aspiciam, quod ipse sit Deus, a splendor gloriæ Patris, & figura substantiæ eius, tam infinitæ pulchritudinis, ut omnes clarè ipsum videtes, faciat beatos. Ergo quem hac ratione cogitatum, modo concipiam affectus reuerentiæ & humili-

a Hebra. 1.3.

tatis

tatis, demittens oculos à conspectu tantæ
maiestatis, & meipsum in eius præsentia con-
trahens: Modò eliciam affectus gaudij ac læ-
titiæ, quod eum videam elegantem adeò, &
resplendentem, & ita prope me. Aliàs pro-
rumpam in affectus laudis & actionem grati-
arum, quòd voluerit se illic collocare cum
tota sua gloria & maiestate.

TERTIO aspiciam coniunctionem illam
externæ panis speciei, cum ipsa Christi maie-
state; obstupens vehementer, quòd videam
simul coniuncta duo extrema adeo distantia,
alterum adeo paruum & vile, qualia sunt ac-
cidentia panis & vini; alterum tam grande &
aleum, qualis est homo & Deus simul, qui te-
git magnitudinem sui splendoris velo abie-
ctæ adeo creaturæ; quo me prouocat ad imi-
tationem eiusmodi humilitatis. O dilecte
mi, qui in hoc Sacramento visibili manes mo-
do inuisibili; videam te ego fide, & reuerear
tuam magnitudinem, atque si te clarè vide-
rém; siquidem idem ipse in Sacramento, &
in Cælo; & æquè dignus reuerentiâ & amore
in alterius vilitate, atque in alterius celsitu-
dine.

PUNCTVM II.

SECUNDVM erit internæ animæ **AUDI-**
TV percipere, quæ Christus Dominus no-
ster mihi dicit, existens in ipso Sacramento;
cogitans, quod inde mihi ad cor loquens, va-
ria dicat, quæ sint è re mea.

COGI-

III.

I.

a *Prover. 9.*
5.

COGITABO itaque interdum, quod me ad ipsum comedendum inuitet, vtens verbis illis Sapiencis: *a venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis. Relinquitte infantiam, & viuite, & ambulate per vias prudentia.* Quibus verbis inuitat, vt accedamus & sumamus ipsum in hoc Sacramento, sed reiecta prius infantia huius vitæ; quia cibus est grandium & eorum, qui cautè prudenterq; vitam suam instituunt. Et eodem modo licet cogitare, quod mihi dicat illud Canticorum;

b *Cant. 5. 1.*
c *Isaia. 55. 1.*

b *Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi;* & illud *Isaia, c Omnes sitientes venite ad aquas, audite audientes me* (attenta scilicet auditione) *& comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra.* Vnde concipiam desideria illum sumendi, obediendo eius voci, eique dicendo: vnde mihi Domine, vt me ad mensam tuam inuites? ego accedo, quia tu ita iubes. loquere quæso mihi dum comedo, vt cor meum liquefcat amore tui.

II.

d *Matt. 23.*
29.

ALIAS cogitabo, quod inde me exhortetur, ad sui imitationem, dicens; d *discite à me quia mitis sum & humilis corde:* discite à me humiliari, & vos occultare, & mutua charitate

III.

e *Matt. 25.*
7.

adinuicem inuitare. ALIAS aspiciam, quod Angeli qui suum Dominum ibi circundant, mihi dicant; e *ecce sponsus* vestrarum animarum *venit, exite obviam ei cum accensis lampadibus, affectibus, scilicet, & accensis desiderijs, eidem vos perpetua charitate coniungendi.*

DENI-

DE NI QVÆ postquam diuinum Sacramentum accepero; dicam ei illud Samuelis: *f. 1. Reg. 3. 9.*
loquere Domine, quia audit seruus tuus: & attendam diligenter ad inspirationes, quas mihi suggerere dignabitur; vt audiens, promp- tē illis obediā, dicens illud Dauidis, g. Psal. 34. 9.
quis quid loquatur in me Dominus, qui est intra me, scio enim quod loquetur verba pacis & vi- tæ æternæ.

IV.

PVNCTVM. III.

TERTIVM erit interno animæ ODORA- TIV, percipere odorem & fragrantiam Christi Domini nostri in hoc Sacramēto; qui in Sacro Missæ offert seipsum æterno Patri, hostiam & Sacrificium, in odorem suavitatis. O quam suauiter olet æterno Patri hoc Sa- crificium, quod eius placat iram! O quam est potens eius odor, ad dissipandum & an- nihilandum fætorem omnium peccatorum, & criminum totius mundi! O Pater supre- me, cui adeo est gratus suauissimus huius sacrificij odor, dimitte mihi propter il- lam, graua peccata mea; iramque tuam pla- ca, quam contra me habes propter illa.

I.

DEINDE odorem quoque percipiam, virtutum sanctissimi huius Sacramenti. nam succinum Balsamum, & res aliæ odori- feræ, fragrantia sua confortant non so- lum eas contingentem, sed alios etiam, qui sunt aliquantum remoti; ita huius Sacra- menti odor, non solum sumentem confor-

II

a *Matt.* 24.
28.

rat, sed etiam aspicientem, & adorantem, & sumere cupientem. Et sicut idem Dominus dixit: *a* *Ubiunque erit corpus, illuc congregabuntur & aquila*, attractæ scilicet ab eius odore, ut illud comedant, & carnibus eius nutriantur: Ita animæ, quæ aquilarum instar in oratione & contemplatione volant, percipientes suavissimum corporis Christi odorem, ad illud accedunt, ut comedant, & preciosissima eius carne alantur. O caro Iesu fragrantissima, conforta me odore tuarum virtutum, fac me percipere fragrantiam tuæ charitatis: *b* *trahere me post te odore unguentorum tuorum, ut tibi perfecti amoris vnitione coniungar.*

b *Cant.* 1.3.

PUNCTVM. IV.

I.

QUARTVM erit interno animæ GUSTATV percipere primùm, quanto per Christum oblectetur, existens in Sanctissimo hoc Sacramento, & in quavis hostia, quamuis illa collocetur in vili & abiecto loco, & quantum delectetur cum piè sumitur. Reliqui cibi, quia mortui sunt, delectant quidem comedentem, sed non ipsi delectantur: at hic Diuinus cibus, quia est panis viuus, plurimum delectatur cum comeditur, & amplius ipse desiderat ab hominibus comedi, quam ipsi desiderent illum comedere. O panis vitæ; gratias tibi, quòd a deo delecteris, quòd noster sis cibus & nutrimentum; purga quæ solum gustatum animæ meæ, ut ita dulcissimo tuo sapore afficiatur, teque recipiendo ita recreetur.

etur, sicut tu, dum lumeris, recrearis.

II.

DEINDE percipiam suauitatem Christi in hoc Sacramento, attendens, quod dignè ipsum recipientibus, impertiatur saporem quandam diuinitatis, multò magis varium ac dulcem; quàm Manna, habet enim saporem ciborum omnium spiritualium, & sapit omnes virtutes, idque tanta suauitate, vt res omnes etiam amarissimas huius vitæ dulcoret; quare in mortificationis & aliorum operum studiosorum exercitatione, cogitabo, dici mihi illud Psalmi: *a Gustate & ipsa experientia videte, quàm suauis est Dominus.* O dulcissime Iesu, quam es dulcissime amantibus, & cum amore sumentibus! ò fons dulcedinis, qui delibandum te copiosissimè tradis, per duplicem istam situlam duarum specierum Sacramentalium; imple animam meam suauitate tua suprema, vt omnem ego rejiciam terrenam.

a Psal. 33. 9.

PUNCTVM. V.

I,

QVINTVM est interno TACTV tangere Spiritualiter, & suo tempore etiam corporaliter hoc sacramentum, à cuius tactu procedit virtus ad sanandum, viuificandum, exhilarandum, ac perficiendum eos omnes, qui debitè illud tangunt; sicut olim a *ex vestibus ipsius Christi Domini nostræ virtus exibat, ad sanandum fluxus sanguinis, & alias infirmitates eas b tangentium.* vt in 3. p. dictum est.

a Matt. 4.

23.

Marci. 5. 30.

b Luc. 6. 19.

II.

ALIAS cogitabo, quando labijs meis accedo ad sumendam hostiã consecratam, quod summa reuerentia & tremore dem osculum Christo Domino nostro; idemque recipiam benignissimè dulcissimo eius ore; dicens illud Canticorum, c *Osculetur me osculo oris sui; quia meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.* O Saluator dulcissime, da mihi *d pacis osculum*; pacificans me cum Patre tuo! O Sacramentalis panis & vini species, quæ estis tanquam pectus dilecti mei, plenum lacte deliciarum cælestium, quæ multo sunt pretiosiores vino voluptatum terrenarum; tangite, & satiate me lacte isto vestro, vt omnis mihi caro desipiat. INTER-

c *Canti. 1. 1.*d *Ioan. 20. 20.*

III.

DVM exacuam fidem, ad credendum & videndum per eam, sacratissima Christi Domini nostri vulnera; tangens meo spiritu pedes, manus, & latus eius, instar illius qui accedit ad bibendum aquam & sanguinem, quæ ab ipso latere profluxerunt: & viua fide illa tangens, exclamabo cum S. Thoma, e *Dominus meus, & Deus meus.* O Deus animæ meæ, vulnera cor meum sagitta charitatis, per vulnera, quæ in sacro tuo corpore suscepisti; extingue sitim animæ meæ, per sanguinem & aquam, quæ ex tuo latere fluxerunt: ablu me aqua illa, purifica me, accende, & perfice me. fac mihi potestatem, spiritu ingrediendi intra glorificata ista vulnera; & siquidem tu cum illis in me habitas, ego cum tota anima mea, volo intra illa, & intra te habitare, & me tibi

c *Ioan. 20. 28.*

con-

coniungere amoris vnitione, donec sim vnum
ecum in æterna gloria Amen.

MEDITATIO. XLV.

PRO SOLEMNITATE
Sanctissimi Sacramenti: & pro per-
agendis cum Spiritu Procef-
sionibus huius diei, &
eius Octauis.

PVNCTVM I.

CONSIDERANDVM primò,
quod Christus Dominus noster
in hoc Sacramento veniat in
nostram terram, ad renouan-
da quæ fecit, cum in ea versa-
re-
recur.

PERPENDENDVM ergo est primùm,
quomodo Christus Dominus, cum in terris
degeret, deambulauerit per omnes plateas &
fora Iudæ & Galileæ, & per Synagogas &
priuatas domos, & in ipso templo Ierololy-
mitano, benè faciendo omnibus. sic enim S.
Petrus ait de eo, *a qui pertransijt benefaci-
endo, & sanando omnes oppressos à Diabolo,*
*quoniam Deus erat cum illo, non solum per gra-
tiam, sed per vnitatem personæ; & bonum
quod faciebat, erat in omni genere rerum,*

I.
a Actuum.
10.38.